

NUMMI MEMORIALIS

IMAGINES REFERENTES ISMAELIS SOPHI, PERSARUM REGIS ET BAJAZETHIS SECUNDI, TURCARUM IMPERATORIS, ARMIS SE INVICEM PETENTIUM. Anno Christi 1510.



Ismael Sophus regem sese Persidis, Jacuppo Ussumcassanis filio perfidiâ libidinosa conjugis obtruncato, effecerat, occasione innovata in Mahometanâ secta religionis: quæ tanto cum applausu & studio credulæ multitudinis suscepta est, ut clientes ejus, sectatoresque concursu gentium, ardoreque propagandæ religionis incredibili, in Cappadociam, ipsamque Lycaoniam felicibus armis penetrarint: nepotesque duos Bajazethis, Orchanen, & Machumeten, & binos Bassas, Caragium, Bellerbeium Asiæ, & Halim, geminosque exercitus duobus ducibus oppressis, occidione deleverint penè citius, quàm magnitudo periculi Bajazethi innotuerit. Ismaelis socius erat Techelles (alio nomine Schachkuli vocabatur) qui concionando, fatidiceque respondendo, pellectis Cappadociibus in sectæ bellique societatem, exercituque Persarum auxiliis firmato, è finibus Cappadociæ Lycaoniam irruit, & vastatâ regione, Iconio exercitum admovet. Inde cum depulsuri Orchanes, & Mahumetes nepotes Bajazethis, qui illis regionibus imperabant, ab hoste fusi fugatique sunt. Techelles, relicto Iconio, in Bithyniam effusus obvium habuit Caragium Bassam, Asiatici equitatus Magistrum, quem Bellerbeium nominant. Hunc magno prælio superatum, festino advolatu obrutum conclusit intra Cuthiam urbem ad Orminium montem. Urbe expugnata, Caragium cum uxore vivum cepit, atque ad Prusiam Bithyniæ caput animum adjecit. Sed ab eo conatu avertire eum Bajazethes, novis copiis objectis per Halibassam, cui se Techelles Galaciæ planitiem emensus, obvium ex insperato tulit, & ut vel demoraretur, vel à persequendo eum deterreret, Caragium Bellerbeum,